

*Doc. 26 (Scriptum est domino
Florio de Venusio devoto suo...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 26 (Scriptum est domino
Florio de Venusio devoto suo...)*

1296-08-08

Scriptum est domino Florio de Venusio devoto suo etc.

Cum pro arduis et expressis servitiis curie que incumbunt pecunia sit nobis ad presens plurimum oportuna, de fide industria et sollecitudine tua confisi fama de te laudabile testimonium perhibente, te, circa celerem pecuniam ab infrascriptarum terrarum universitatibus curie debitam, ad quam composuerant cum curia per syndicos eorum dem pro dampnis illatis per eos in forestis Lacuspensilis et Gualdi duximus pro parte curie statuendam, devotioni tue sub pena unciarum auri viginti firmiter et expresse precipiendo mandantes, quatenus statim receptis presentibus ad terras ipsas et loca te personaliter conferens, in singulis terris et locis ipsis subscriptam quantitatem pecunie ipsarum quamlibet contingentem inter homines terrarum ipsarum, iuxta cuiuslibet facultates taxari facias absque mora. Collectores per quamlibet ipsarum universitatum electos vel etiam eligendos ad recollectionem celerem ipsius pecunie et debitores singulos ad solvendum, omni coercione qua melius et celerius expedire videris districtius compulsurus, quam pecuniam recollectam per te a collectoribus ipsis recepi volumus, et sicut successive recolligetur ad cameram nostram mittas, non expectato quod totam eandem pecuniam simul et semel ad ipsam cameram nostram mittas, cum pro predictis servitiis curie in ea satis necessaria reputetur, facturis collectoribus ipsis de pecunia quam receperis ab eisdem ad eorum cautelam ydoneas apodixas. Tu vero super recollectione ipsius pecunie sic sollicite et diligenter intendas, quod tota ipsa pecunia que de terris et locis ipsis debetur per totum presentem mensem augusti ad tardius sic infallibiliter recollecta, et in predicta camera

ut predicatur assignata, sicut servitia curie felices cupis habere successus, cautus existens ne pretextu taxationis ipsius pecunie maior pecunie quantitas predictarum terrarum hominibus imponatur vel ab eis etiam exigatur, sicut evitare desideras iracundie nostre motus, factis per te in qualibet terrarum ipsarum de particulari taxatione ipsius pecunie quaternis tribus consimilibus, uno a collectoribus ipsis habendo, alio alicui probo viro de qualibet terrarum ipsarum assignando et ostendendo per eum gratis et gratanter omnibus scire volentibus quantitatem eis impositam et taxatam et tertium ad curiam nostram mittas. Nomina vero terrarum ipsarum et quantitas pecunie ad quam tenentur sunt hec videlicet.

Melfia.... uncie auri sexaginta. Venusium.... uncie auri quadraginta. Gaudianum.... uncie auri viginti. Cervaricium et Baucia.... uncie quindecim. Gentianum.... uncie quindecim. Datum Brundusii die VIII augusti XIII indictionis (1286).